

BX 2030

P3

LECTORI BENEVOLO

Auctor sibi vindicat ius proprietatis.



Capilla Alfonso V
Universidad de Valencia



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

LECTORI BENEVOLO

Quem bis discipulis in theologicis praelectionibus tradidi, nunc typis edo Tractatum de Romano Pontifice. In quo conficiendo illud potissimum prae oculis habendum esse duxi, ut accurata et plena exhiberetur analysis divinitus instituti Primatus, fieretque plane satis quaestioni: *quid est Papa?* Non equidem polliceor me id esse assecutum; attamen ne ab hoc qualicumque fructu edendo studiorum meorum abstinere, effecit amor et obsequium quo Cathedram Petri filius devotissimus prosequor, ut indecorum putaverim contra tot adversariorum temerarios conatus, quibus Romana Cathedra impetitur, otiosi militis partes agere.

Quoniam vero Primatus Romani Pontificis ad Ecclesiam refertur pro qua est institutus, et relativa mutuo sibi lucem affundunt, operae pretium censui praemittere huic Tractatui Tractationem de Ecclesia in modum Prolegomeni, in quod ea conferrem quae necessaria scitu sunt ut Ecclesiae divina constitutio, et sic Primatus vis intelligatur. Nolim tamen, eo quod prolegomenon inscribitur, ipsum praetermitti a lectore, quod non raro solet prolegomenis contingere. Nam et huius materia necessaria per se est, pluraque ipsum continet quae forte in aliis Tractatibus de Ecclesia non invenies, nec sine eo multa intelligi possent quae in sequenti Tractatu traduntur. Erit ne ergo qui interroget cur non simpliciter inscripserim Tractatum de Ecclesia? Si universum prolegomenon quis perlegerit, facile, puto, advertet quaedam deesse, nonnulla breviter et ieiune tractata, ita ut illi amplitudini

008345

non exaequetur quae tantae rei tractatui par sit. Quod si quis vicissim me iubeat advertere prolegomeni quoque fines hoc prolegomenon excedere, velim ipsum hac responsione esse contentum. Cum haec Tractatio terminum non attingat qui tractatui debetur, et aliquo tamen esset appellanda nomine quo eius nexus et subordinatio subsequenti Tractatui significaretur, satius duxi nomen illi facere ab eo quod est modestius, et eam ob oculos ponit subordinationem. Ceterum quia finis intenti praecipue habenda est ratio, temperare me non potui quin aliquas quaestiones etiam praeter morem ibi tractarem, et alias pro dignitate rei dilatarem; in qua re si quid contra aestheticam peccatum est, facile puto lectores mihi veniam duros, sicut et ego mihi parco: cum praesertim nulla adhuc lex scripta sit quae fines determinet prolegomenis. At cur non editur Tractatus completus de Ecclesia? Possem respondere: quia nolo; sed ut agam amice cum iis qui me hoc dignantur honore ut mea legant, dicam quod sentio. Tractatus de Ecclesia suis omnibus absolutus numeris complecti deberet ea omnia quae ad Ecclesiam pertinent; idcirco in unam synthesim colligenda forent quae de Romano Pontifice, de Magisterio Ecclesiae, de potestate sanctificatrice sparsim traduntur, una cum iis quae in tractatu de Ecclesia solent disputari. Verum hoc opus est magnae molis cui me parem non existimo, et si id exequi vellem, oporteret me falcem mittere in messem alienam; nam de Magisterio Ecclesiae in eo agitur tractatu qui modo inscribitur de Traditione, cuius quidem explicandi munus in hac Universitate non mihi, sed meo collegae in Theologia tradenda est demandatum, quem praeterea tractatum de Traditione absolutissimum habemus ab olim collega meo, nunc Eminentissimo Principe Ecclesiae Romanae Cardinali I. B. Franzelin. Itaque malui sequi consuetam in his rebus methodum, et seorsim tradere tractatum de Rom. Pontifice. In eo tamen eiusque praecedenti Prolegomeno illa omnia confido

lectorem inventurum, quae ad sinceram Ecclesiae Christi notitiam informandam necessaria sunt et opportuna.

Ut autem via muniatur ad subsequentem tractationem de Ecclesia iuverit occurrere difficultati quae in ea tractatione sollicitare solet discipulorum animos, universamque tractationem pervadit. Scilicet, aiunt, in demonstrationibus conficiendis provocatur ad testimonia Doctorum et Patrum Ecclesiae Romanae, cum nondum tamen sit demonstratum Ecclesiam Romanam esse veram Ecclesiam, sed id deinceps demonstretur. Videtur proinde petitione quadam principii supponi id quod in quaestionem venit. Porro respondemus: 1° quaecumque asseruntur de Ecclesia demonstrari primum auctoritate Scripturarum, quam adversarii quoque recipiunt, idque per se certitudini conclusionis esse satis: 2° nos provocantes ad veterum testimonia provocare directe ad consensum christiani nominis de cuius existentia nulla est modo quaestio, vel maioris partis eorum qui Christiano nomine olim censebantur, eorumque testimonio tamquam historico uti, quemadmodum fieri solet in tractatu de Traditione: imo provocare nos quoque ad consensum aliarum sectarum veterum, quas in pluribus et potioribus consentientes habemus, ut in quaestione de perennitate, visibilitate, unitate, apostolicitate Ecclesiae, ac divinitus instituta potestate ecclesiastica ordinis et iurisdictionis: 3° respondemus nos in his uti armis adversariorum, qui ad suas stabiliendas theses Patrum quoque testimonia producunt, et quidem Patrum catholicorum (Cf. Turretini *Institutiones theologicas*). Quocirca nulla est petitio principii.

Faxit igitur Deus ut haec significatio amoris, obsequii et obedientiae meae erga Cathedram Romanam fructum aliquem non poenitendum ferat in mentibus et cordibus lectorum.